QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. FEBRVARII,
M. IACOBO REGNAVLT Doctore Medico, Præside.

Licetne Medico in morbis periculosis periclitari? 878

ARTEM Medicam necessitas inuenit: Sanitas hominis adeo lubrica est, totque injurijs exposita vt seipsâ stare vix possit. Eximia est in sui conseruationem naturæ sagacitas, sed tam exquisita contrariorum mixtio diu firma esse nequit. Quæque suos patitur morbos ætas, quæque temperies: In eos vt facilis lapsus est ita minus periculosus. Vixdum natus est homo, ecce morbis corripitur; in ipso aëre quo circumfunditur; alimento quo nutritur seminaria sunt morborum. Artificiosa tamen sapientissimæ naturæ prouidentia ita excellit, vt per tam varios casus, perque tot rerum discrimina multos ad senectutem vsque perducat: vix verò absque artis Medicæ beneficio id contingit: Mutuis operibus natura & ars conspirant in sanitatis defensionem, morborumque depulsionem. Illa quamquam indocta sit, omnia ita doctè agit, vt morborum præcipua sit medicatrix: quamdiu sui iuris est quod præstat semper facit, neque vnquam otiosa cessat ab actione. Nouercam non nisi iniquè dixeris, optimam semper parentem agnosces si singulos eius motus diligentius perpendas, quos obseruare, si consentanei sunt; iuuare & imitari, sin minus componere vel auertere sapientis Medici est, qui feliciter pugnantem aut integrè victricem non turbabit nec irritabit, sed solâ præscriptâ viuendi lege totum ei negotium committet; deficienti sedulam opem feret, neque vllo tempore, etiam critico die si necesse est, sanguinis detractione aut purgatione, quæ magna diuinæ Artis remedia sunt, iuuare verebitur.

IN his præcipuè morbis quos humorum vitium excitauit, naturæ vis emicat, conspicuumque magis certamen suscipitur. Cum humor quispiam infensus retinetur, natura primum eius coctioni incumbit, ipsum deinde ab alijs secernit, tandem quâ potest conuenientiore viâ sese expedit. Id in acutis subitò, in longis sensim exequitur. Crisim appellamus quæ subita est mutatio, λύσιν quæ lenta & temporis diuturnitate contingit. Criseos modi duo excretio, abscessus. Excretio fit αἱμοῤῥαγίᾳ etiam sexto die sæpe felici & tutâ: vomitu, ἐῤῥοίᾳ, διαῤῥοίᾳ, sudore, Hæmorrhoïdum, & in mulieribus, mensium fluxu. Abscessus est cum humor in aliam partem transfertur quam ignobiliorem esse conuenit, totius materiæ morbificæ capacem, insuper & longe distare: salutaris non est qui ἡμίῤῥοπος, ἀντίῤῥοπον esse conuenit. Vt perfecta sit salutarisque crisis, & indicatam fuisse oportet coctionis signis, manifestam esse, die critico contingere & sine periculosis symptomatis. Noxius etiam humor totus debet euacuari, & ætati, naturæ, & morbo conuenire.

VT non omnes morbi eandem naturæ perniciem intentant, ita non aduersus omnes similiter insurgit. Vbi periculosus est morbus periclitatur si necessitas postulat. Periculosum morbũ appellamus à quo vitæ discrimen imminet. Id vel à causarum efficientiũ malignitate procedit, vel à partiũ affectarum præstantia. Periclitari naturam intelligimus cùm dubiam pugnam aggreditur; quod accidit dum aut intempestiuas copiosioresue excretiones molitur, aut parum tutas liberationis suæ vias quærit. Dum irritata cogitur, excretionem anticipare, & validius eniti necesse est, & nutritii humores vnà cum vitiosis effluunt, & horum portio aliqua sæpe relinquitur. Hoc magnâ virium iacturâ fit & insigni vitæ discrimine, aut saltem relapsus metu. Fausto etiam etsi non tuto successu vias parum conuenientes experitur. Mirum est quod in puris aut pulmone, aut thoracis capacitate contenti euacuationem aliquando molitur. Quatuor sunt modi quibus ab hac illuuie se expurgat, ἀναχάθαρσις, διάῤῥοια, οὔρησις, ἀπόστασις. Omnium maximè expetenda est ἀναχάθαρσις; fit hæc διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων. Διάῤῥοια sæpe lethalis est, quandoque tamen salutaris, sicut & ἀπόστασις: οὔρησις ab ἀναχαθάρσει optabilior est; in illa naturæ felicem audaciam licet suspicere. Quod pus in pulmone continetur, per arteriam venosam in sinistrum cordis sinum, dextro longè nobiliorem defertur, inde in magnam arteriam, à qua per emulgentes in renes deducitur, perque vreteres in vesicam; vnde liber patet exitus quem στραγγουρία comitari solet.

MORBI etiam morbis curantur. Lienosis dysenteria salutaris; quæ à luxantibus tuberculis sub diaphragmate κυφώματα fiunt eadem æquat. Illam fugacem esse oportet, hanc diuturniorem: eadem spinæ vitia varicibus soluuntur, quos compungere tutius est quàm exscindere. Melancholiæ, nephritidi totique alijs grauissimis affectibus Hæmorrhoïdes subueniunt. Pulmonum inflammationibus qui iuxta aures, aut in inferis partibus præcipueque cruribus oriuntur abscessus, salutares. Conuulsioni febris feliciter superuenit, non ita tamen febri conuulsio. Apoplexiæ febris quoque auxilio est, sicut & hyponchodriorum qui sine inflammatione sunt doloribus. Ergóne Medicus vllum quantumuis ancipitis euentus remedium intentatum relinquet? prospere multa non naturæ modò sed & arti respondent, quæ ardua videntur plenaque periculi. Cum è claustris maternis maturus fœtus viarum consuetarum præclusione non potest exilire, si aperiri non possint, sectione, quam Cæsaream vocant, etiam viuâ matre audacter & feliciter educitur. Cum in vesica calculus molestus est, via commodissimè paratur in perinæo. Hydropici abdominis punctione plerumque liberantur. Empyici thoracis apertione; præstat verò intermedia costarum spatia secare, quàm costam ipsam perforare. Suffocationi quam Angina minatur βρογχοτομίᾳ succurritur, vulneribus capitis τρυπάνῳ. Gangrænæ, excisione; in qua consultius est aliquid sanæ partis demere quàm corruptæ relinquere. Annon & licebit aliquando febrem accendere?

EXTREMIS morbis extrema remedia. In maximis inflammationibus, ardentissimis febribus, vehementissimis doloribus frustra sanguinem parcâ manu educes; vehementi malo non nisi æquè vehemens auxilium succurrit. Ad lipothymiam detrahito. Illico totum corpus refrigeratur, febris extinguitur, humorum ferocia comprimitur. At forsan effusis vnà cum sanguine spiritibus natura fatiscet, tantùm abest. Plerisque horum aluus statim citatur, sudores emanant, & sanitas quasi miraculo quodam restituitur. At similiter purgare licet? non consulerem. Generosum Medicum esse decet, non temerarium. At vbi vel in abdominis capacitatem, vel in totum corporis habitum effusum serum hydropem excitauit, vel alibi in remotioribus præcipuè locis collecta magna humorum saburra periculum minatur, aut vehementiore impetu effrænes humores in partem aliquam irruunt, validioribus medicamentis scammonio, colocynthide, elleboro, elaterio, euphorbio, stibio non parcet. ἐν ἀλγήματι ὀσφύος συντόνῳ, ἐν ὑποφορῇ πλείονι, ἀπὸ ἐλλεβόρου ἐμέσαι ἀφρώδεα συχνά· ὠφελεῖ. Æstimare debet prudens Medicus euacuationis vtilitatem cum damno quod partes sentiunt à validiori concussione & calore: Leuioribus res sæpe frustra suscipitur; non hæc nisi temporis diuturnitate & quotidiano ferè vsu multas sordes è distantibus potissimùm locis educere valent, at interim præceps occasio fugit, labes partibus indelebilis inuritur, noua continuò suggeruntur excrementa, ventriculus toties concussus infirmatur, natura medicamentis assuescit, eorumque vim tandem eludit. Infamanda quidem non sunt præsidia quæ multis saluti esse possunt, nec temerariò valentiora vsurpanda iudicamus: τὸ προεξευκρινήσαντας ποιέειν. Cum tamen res exigit satius est anceps experiri remedium quàm nullum, aut ea quæ morbi magnitudini minimè respondent. Videtur artis splendori conuenientius naturam acriùs etiam cum periculo commouere, quàm certum interitum patienter expectare. ἐπιτυχὼν μὲν γὰρ ὑγιάσειεν. ἀτυχήσας δ' ὅπερ ἂν ὡς ἔμελλε γίνεσθαι, τοῦτ' ἔπαθε. quicquid verò necessitas cogit defendit.

Ergo licet Medico in morbis periculosis periclitari.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE MONSTROEIL, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XL.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus Pajot.	*M. Philibertus Morisset.*	*M. Bartholomæus Baralis*, Medicus Regius.
M. Antonius Suart.	*M. Iacobus Cornuty.*	*M. Carolus le Clerc.*
M. Guillelmus du Pré.	*M. Carolus Guillemeau*, Ordinarius Christianissimi Regis Medicus.	*M. Ioannes Bourgeois.*

Patho